



**Instrvctio R. P. Bartholomæi Riccii Societatis Iesv  
Theologi De Modo Recte Meditandi De Rebvs Divinis**

**Ricci, Bartolomeo**

**Mogvntiæ, 1605**

5 Quænam iuuent ad Scripturarum intelligentiam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59608](#)

114 INSTRVCT. DE MODO

ad ultimam guttam ebibere: & quidem instar eorum, qui cum calicem eberint, ob nimiam qua premuntur sicut, lambere non cessant calicem. Denique utitur quoque scriptura contento pro continente. unde dicit S. Ioannes. Et *mundus eum non cognovit.* hoc est, homines qui sunt in mundo.

*Ioan. i.*

*Quænam iuuent ad S. Scripturarum intelligentiam.*

C A P. V.

**B**RÆVITÆ R hic recensebo præsidia, quæ S. Patres ad percipiendum litteralem scripturæ sensum vel necessaria, vel admodum utilia censuere Scribit B. AVGVSTI-  
NVS libro 2. de doct. Christ. cap. 31. ad cognoscendam verborum proprietatem imprimis iuuare peritiam Grammatices, non latinæ modo, sed etiam Græcæ & Hebrææ. secundario verò & Rethoricæ, ad intelligendas figuræ supra dictas. Addit prodesse quoque Philosophiam, cuius beneficio intelliguntur naturæ, rerumque naturalium proprietates, quæ cognitio necessaria est ad intelligendas metaphoras. Denique & Theologiam, quia fidei mysteria, in ipsa scriptura inclusa accuratè exponit.

N E Q.



MEDITANDI PARS II. 115

NEQUE dictæ scientiæ cum suis subtilitatibus & illecebris ideo respuendæ sunt, quod occasionem aliquam distractionibus præbeant; nam dictus sanctus Pater autor fuit Christianis, ut libros gentilium, quantumuis erroribus plenos, perlegerent, adiuncta commonefactione, ut bona secernerent à noxiis: sic enim magnum adiumentum ad intelligendas Scripturas habitueros. Perutile quoque esse solet, teste S. BONAVENTURA, si quis multa è Scripturis memorie mandet, vel crebro cum attentione perlegat, & obscuriores earum sententias conferat cum clarioribus, id que vel totas, vel secundum alias partes. Hac enim ratione B. GREGORIUS homilia in Ezechielem collegit, quid Christus significare voluerit, cum digitos immitteret in aurem surdi. *Quid per digitos, inquiens, nisi dona Spiritus sancti designantur?* Vnde, cum in alio loco eiecisset demonium dixit. *Si in digito Dei eicio demonium, profecto peruenit in vos regnum Dei.* Qua de reper Euangelistam aliud dixisse describitur. Si ergo in spiritu Dei eicio demonia. Ex quo utroque loco colligitur, quia digitus Dei vocatur *Spiritus sancti dona.* Et concludit. *Digitos autem in auriculum mittere est*

H 2 per

116 INSTRVCT. DE MODO

*per dona spiritus sancti mentem surdi ad obedientiam aperire.*

NON parum etiam iuuat legere commentarios eorum, qui ad litteram scripturas exponunt, ut Hieronymum, Chrysostomum, atq; etiam P. Emmanuel Sà, qui breuissimè clarissimeq; tota Biblia exposuit, & ad meditantium usum valde accommodatè.

*D E M V M* plurimum iuuare puto, si in orationibus tuis pro carum intelligentia recurras ad *D E V M*, qui dat omnibus affluenter, teste S Iacobo. Hoc enim donum Apostolis, hoc aliis multis concessum est. Sic legimus S. THOMAM Aquinatem plus oratione, quam studio & continua lucubratione in earum intelligentia profecisse. Idem ergo & tu spera, maxime si, ut ille faciebat, orationibus ieunia, disciplinas, aliasq; mortifications adiunxeris.

*De monitis circa Metaphoras obseruandis.*

C A P. VI.

**V**ENIO ad monita circa Metaphoram obseruanda Primum est, eam nō usurpari, nisi occasione proprietatis alicuius, quam res inter se communem habent. Vera causa,